Q. D. B. V.

DISPUTATIO JURIDICA

DE

SOLUTIONE MINORIS SUMMÆ IN DEDUCTIONEM MAJORIS

vulgò

auf Abschlag/

SUB PRÆSIDIO

DN. PETRI MÜLLERI, JCTI

Antecessoris, Consiliarii Saxonici, Curiæ Provincialis, Facultatis Juridicæ ac Scabinatus Assessoris,

IN AUDITORIO JCTORUM

ad diem Februarii

Annô Salutis

M DC LXXXV


horis consvetis

publicitus ventilata

ab Autore

AUGUSTO HENRICO FÖRSTERO,

Cob. Franco.



Jenæ, Literis Bauhoferianis.

Σὺν τῷ Θεῷ!

PROOEMIUM



Iu mihi deliberanti, quodnam conſcribendæ Diſputationis eligerem argumentum, accidit, ut in hâc meditationum luctâ modò de hâc, mox de aliâ iterum materiâ dubius cogitare cœperim; Ex quô enim præſentem hujus Seculi genium, (quô homines ſingulari quâdam novitatis cupidine obfaſcinati quaſi naturam imitaturi, indies novas formas edere depropeꝛant,) accuratius paululum contemplari contigit, non eſt, cur amplius in admirationem ducere velimus, quod tàm variæ tàmqve, diverſi argumenti materiæ etiamnum hodie lucem hanc conſpiciant, quas tamen, ſi accuratiori mentis lance perpendas, plus ſubtilitatis, quàm utilitatis, quin & aliquando plus in rubrô quàm nigrô continere invenies. Ne itaque & mihi tale quid meditanti eveniret, ut quod in aliis modò perſtrinxi, in me ipsô deſideretur, eò potisſimum meas cogitationes dirigendas duxi, ut non minus jucundam quàm utilem, quæque in ipſis rerum obtineat argumentis *pr. J.* §. 3. ſeligerem materiam, hôc ipſo & temporum curioſitati & privatæ mei ipſius utilitati ſatisfacturus; Proinde cum non ita pridem obæratorum debitorum levamina animô mecum ruminarer, eaque inter non ultimum deprehenderem, quod ad particularem ſæpè ſolutionem ceu ſacram anchoram confugientes, creditoribus ſuis ſruſticulatim debita obtrudere laborent, omni ulteriori disquiſitione omiſsâ, quas privatô ſtudiô de eleganti hac materiâ hactenus conſignaveram obſervationes, fuſius quantiſper elaborare inqve ſtudiorum meorum publicum quoddam teſtimonium ſcrræ Diſputationis ſubmittere conſtitui, in quô eo minus me peccaſſe confido, quò magis ejusdem cognitionem etiamnum quotidiè in Societate Civili haud contemnendos fructus producere animadverto, utut enim hic

Solutionis modus quam pluribus juris textibus valdè exosus habeatur, non tamen eosdem tam rigorosè interpretandos existimo, quin uno vel alterô casu debitoribus concedendum, ut debiti sui partem aliquam in deductionem residui tutò exsolvere possint, uti ex ipsô opere dilucidius patescet, ad cujus tractationem eâ quâ fieri poterit brevitate nunc progredior, ea solummodò, quæ de Solutione in genere tractari solent, præmissurus. Te itaque Deus Ter Opt. ter Max. calidissimis desuper exoro precibus, ut mihi in suscepto opere benignitate tuâ clementer adsistere adque ejus elaborationem integras vires concedere velis, ut omnia in Tui ipsius gloriam, Patriæ salutem & proprium studiorum meorum ornamentum vergant.

CAPUT I
Continet Terminorum expositionem, descriptionem & divisionem.

SUMMARIA.

Th. I. *Solutionis verbum varias in jure sortitur acceptiones.* II. *Quid per minorem summam intelligatur.* III. *Quid per deductionem.* IV. *Quid major summa.* V. *Descriptio ejusq; expositio.* VI. *Divisio in Propriam & Impropriam, harumq; descriptio.*

Th. I.

CUm in omni disputatione, sin aliter perspicuitas ea quæratur, cui studere omnes par est, verborum prima tenenda sit ratio; hinc mihi quoq; de solutione minoris summæ, in deductionem majoris, tractaturo, brevem atque succinctam terminorum horum explicationem præmittere incumbet. Descendit autem *solutionis* vocabulum à verbô solvere, quod varias ac penè multas in jure nostrô sortitur acceptiones, in primâ siquidem & absolutâ suâ significatione nihil aliud est, quàm ea, quæ connexa & conjuncta sunt, separare, ductâ metaphorâ à vinculorum sive ligamentorum constrictione, sic solutum matrimonium dicitur *l. 240. ff. d. V. S* eodem pariter sensu in *l. 31. ff. de LL.* Princeps legibus solutus esse dicitur. Deinde usurpatur quoqve in jure pro corporis levatione,

ne, ut quando solutionem impetrasse dicitur, qui carcere quidem clausus, sed cujus corpori nulla vincula adhibita sunt *l. 216. ff. d. V. S.* ita etiam navem portu solvere dicimus, quâ generali significatione nomine solutionis etiam delegatio germanis Anweissung/ aut qualibet alia satisfactio continetur *l. 8. §. 3. ff. ad SCt. Vellej.* tandem ac ultimò locô pro naturali ejus quod debetur præstatione accipitur *l. 49. l. pen. ff. de sol.* quæ significatio hujus loci est propria, hocqve in sensu differt à satisfactione, quippe quod vocabulum latius patet *l. 1. ff. d. his, qui satisd. cog.*

Th. II. MINORIS SUMMÆ] per minorem summam nihil aliud hic indigitari volumus, quam partem debiti, ex solutione particulari proportionaliter à debitô principali s. sorte deminutam; quamvis enim creditori solidi obligatio sit quæsita ac proinde ad particularem solutionem accipiendam regulariter minimè quis sit obstrictus, eandem tamen variis casibus tolerari ex sequentibus clarius erit perspicere.

Th. III. IN DEDUCTIONEM] deductio significat nonnunquam absolutè dispendium, imminutionem rerum, vulgò einen Abgang oder Abzug/ ut proinde idem sit deducere quàm demere aliquid de summa pecuniarum debitâ. *l. pater 81 pr. ff. de jure dot.* inde dicimus expensas vel æs alienum deducere *l. 36. §. f. ff. de hered. petit.*

Th. IV. MAJORIS SUMMÆ] per majorem summam intelligi volumus ipsum Capitale, vulgò der Haupt-Stamm oder die Haupt-Summe / quamvis enim interdum fieri possit, ut id, quod in deductionem solvitur, excedat residuum, ac proinde minus rectè majorem summam, quin potius minorem constituat, id tamen ex accidenti saltem contingit, nos autem hic residuum debiti majorem Summam indigitamus relatione factâ ad id, quod est ab initiô, non quod ex post factô.

Th. V. Præmissâ sic definitione nominali, Solutionem minoris summæ in deductionem majoris ita describere placet: Quod sit naturalis rei debitæ in minori quantitate ad diminuendam sortem facta præstatio; generis locô posui præstationem, sed cum hac voce, utpote generali, non tam actualis pecuniæ numeratio vel rei debitæ exhibitio, sed virtualis quoqve solutio quæ & analogica dicitur, &

 de-

delegatione, acceptilatione similive modò perficitur, comprehendatur, ideò quoqve adjeci vocabulum naturalis, quô ipsô generalitatem ejus restrinxi, atque ab aliis liberationum speciebus satis luculenter distinxi; tunc enim soluta pecunia intelligitur, cum verè & realiter pecunia numerata est. *l. solutam 49. ff. de sol.* Præterea præstationis vocabulum juris intellectu hic etiam sub se comprehendit actum accipientis, quia ut solutio cum effectu facta dicatur, requiritur ut dominium transferatur *§. fin. J. quib. alien. lic. vel non l. 17. l. 55. ff. d. solut.* in quibus actibus utriusqve consensus adesse debet juxta *l. 55. ff. de O. & A.* Porrò addidi: rei debitæ, vi *l. 176. ff. verf. solvere ff. d. V. S.* neqve enim aliud pro aliò recte solvitur invito *l. 2. ff. de R. Cred.* Differentiam specificam intimavi hisce verbis: in minori quantitate, hoc ipso enim distinguitur ab eâ solutione, quâ integra Summa unô solutionis actu præstatur & ita totum debitum perimitur; ad diminuendam sortem facta; hunc enim finem solvens intendit, & hic effectus ex ipsa solutione resultat, ut debiti parte exsolutâ obligatio quoqve pro eâ parte extinguatur, reliquâ parte salvâ manente.

Th. VI. Descriptionem nunc excipit divisio. Dispescitur autem solutio communiter à DD. in propriam & impropriam sive analogicam. Propria solutio dicitur illa, quæ fit in præcisâ specie & formâ obligationis, & hæc liberat omninò debitorem, quia debitor seu obligatus faciendò id, quod facere tenetur, dicitur propriè solvere, quare si quis est obligatus solvere pecuniam auream, & eam solvit, dicitur propriè solvere; Impropria solutio dicitur illa, quæ non fit in præcisa specie & forma obligationis, habet tamen per omnia vim & effectum solutionis, non hæc sed illa propria scil. hujus est loci vid. Magnif. Dn. Struv. *S. J. C. Ex. 47. th. 67. in fine.*

Cap. II
De
Solutione in genere.

SUMMARIA.

Th. I. *A generalioribus ad specialia descendendum.* II. *Solutionis Actus duobus articulis includitur, subjecto & forma s. modo.* III. *Quinam*

nam rectè solvant & qui non. IV. *Quibusnam solvi possit. (1) Creditori* V. *(2) Procuratori. (3) Adjuncto.* VI. *In Solutionis modo respiciendum est ad formam & objectum, ad illam refertur tùm locus tum tempus. Hoc, res quæ ex obligatione debetur constituitur.* VII. *Disting. an conventioni locus specificè adjectus sit, utrum ex contractus natura tacitè interveniat.* IIX. *Adjectio loci in commoditate Creditoris radicata est. Creditor unam partem debiti petere nequit coram unò judice & aliam partem coram alio.* IX. *Debitum neque maturius neque tardius, sed congruò tempore solvendum est.* X. *Q. Utrum debitum in diem invito Creditori ante diem a volente debitore solvi possit?* XI. *Quidnam solvendum.* XII. *Q. Utrum Creditori invito particularis solutio a Debitore obtrudi possit.*

Th. I.

Cum secundùm ductum Imperatoris *in §. 2. J. de j. & j.* à generalioribus ad specialiora procedendum; ideò antequam ad solutionis minoris summæ, in deductionem majoris, auf Abschlag / specialem tractationem abeamus, ordinis ratio exigere videtur de Solutione in genere levi quod ajunt brachiô quædam attingere; hæc autem ita videntur tradi posse commodè ut primò de Solutionis actu, post deinceps quæ de ejusdem effectu scitu necessaria sunt, breviter exponamus.

Th. II. Proinde Solutionis actus non ineleganter duobus articulis includitur, quorum alter Solutionis *subjectum* alter vero ejusdem peragendæ *formam & modum* nobis describet. In subjectô duæ considerandæ veniunt personæ, una quæ solutionem præstat, quæ debitor dicitur, altera eandem accipiens, quam creditorem nuncupamus. De singulis separatim.

Th. III. Primum itaque membrum quod concernit, hanc constituimus Regulam, quod omnes omninò rectè solvant, quibus libera rerum suarum competit administratio; quique solvere non prohibentur *arg. l. 43. §. 1. ff. de procurat. l. 12 pr. ff. de judiciis.* Rationem hujus limitationis nobis suppeditat *l. 14. §. fin. & l. sequ. de solut.* cum enim iis textibus requiratur, ut res soluta fiat accipientis, utique qui cum effectu alienare non possunt, solvendi facultate de-

fin-

ſtituuntur, Prohibentur autem vel à naturâ vel à lege, naturâ (1) Pupillus absque tutoris auctoritate *§. fin. J. quibus alien. lic. vel non l. 29. ff. de cond. indeb.* cum enim actiones nostræ inprimis ex intellectu & voluntate æſtimari ſoleant, pupillus autem animi ac intellectus infirmitate laboret, idcircò pupillo libera rerum adminiſtratio haud concedenda *l. 9. §. pupillus 2. ff. de auct. & conſ. tut.* (2) furioſi, *d. l. 29. ff. de cond. indeb. l. 10. ff. de furioſ. curat.* habentur enim per omnia & in omnibus abſentium & quieſcentium locô *l. 2. §. 3. ff. de jure Codicill. §. 8. J. de inut. ſtipul.* (3) minores (1) quia eidem ſimiliter omnis alienatio eſt interdicta & ad Curatorem ſpectat *l. 3. C. de in integr. reſt. min. l. 1. §. 3. ff. de min.* (2) quia contrahere prohibentur. Lege repelluntur (1) Reus criminis Majeſtatis *arg. l. 20. ff. de accuſ.* (2) qui criminis repetundarũ inſimulantur *d. l. 20.* (3) filiusfamiliàs contra SCt. Maced. pecuniam mutuò accipiens *l. 14. ff. de reb. Cred. l. 9. ff. ad SCt. Maced.* (4) Mulier, non equidem jure Civili, ſed Jure Saxonico ubi cum ſola obligari non poſſit *p. 2. Conſt. Elect. 15.* ſolvere quoqve ex obligatione non præxiſtente nequit, vid. Carpz. *p. 2. c. 15. def. 2.* (5) Prodigus *l. 29. ff. de cond. indeb.* non tàm ob defectum facultatis intelligibilis, quàm voluntatis & animi vitium; neqve tamen intereſſe putamus, utrum ipſe debitor ſolvat, an alius ejus nomine *pr. J. quib. mod. toll. obl.* nihil enim Creditoris intereſt, à quô ipſi debitum ſolvatur, unde etiam eſt, quod qui aliorum negotia & res adminiſtrant, rectè quoqve ſolvere poſſint, *l. 10. de tut. & rat. diſtr.*

Th. IV. Tantùm de perſonâ ſolutionem præſtante; Sequitur nunc, ut de alterâ quoqve eandem ſcil. accipiente brevibus diſpiciamus; & (1) quidem rectè ſolvitur *Creditori* majori, & ſanæ mentis, quemadmodum enim Th. præcedenti ex parte ſolventis liberam rerum adminiſtrationem requiri diximus, ſic quoqve in eô cui ſolvitur, creditore ſcil. eandem adeſſe volumus, nam accipiendô quoqve alienatur, obligatio nimirum, quæ quandoqve, ſi maximè hominem ætatis vel mentis imperfectione laborantem ſupponamus, melius retinetur, neutiquam igitur pupillo atque minori nulla Tutoris vel Curat. accedente autoritate, ſolvitur *l. 28. ff. de pactis l. 15. ff. de ſol.* neque etiam furioſis ac mente captis per tradita in Th. anteced. ne quidem tutoris vel Curatoris conſenſu interveniente, Jure Saxonico uti ſuprà monitum, rectè repellitur mulier, ita ut absqve mariti alteriusve Cu-

Curatoris consensu illi tutò solvi non posse Landr. *lib. 1. art. 31. verb. kein Weib* ꝛc. quod pariter Const. Elect. Augusti *p. 2. c. 15.* comprobatum legimus. Fallit tamen duplici casu, (1) in muliere illustri (2) in mercatrice vid. Carpz. *p. 2. c. 15. d. 16.* Imo quod in principio hujus Th. diximus, creditori majori & sanæ mentis rectè solvi, aliqualem admittit restrictionem in reo criminis læsæ Majestatis, quod ad exemplum aliorum singularium in crimine læsæ Maj. peculiariter contra juris communis rationem receptum esse statuit D. Eckolt *Com. ff. de solut. §. 7.*

Th. V. (2) Rectè quoque solvitur *Procuratori* generali vel speciali mandatô instructo *l. 12. ff. de sol.* nisi hoc iterum revocatum fuerit, quô casu tantum abest, ut procuratori rectè solvatur, ut potius debitor revocatum id esse inscius & boná fide solvens ipsô jure adhuc obligatus maneat, *l. 12. ff. mand.* quamvis si æquitatem considerare velimus, aliud dicendum existimem. Sic etiam (3) solutionis causâ *Adjecto* rectè solvitur, quamvis invito ac reluctante creditore *l. 55 ff. de V. O.* vid. D. Præses, *Jurispr. Elem. Disp. 42. th. 2. ibiq. in notis subjectis Lit. E.* magno etenim negotiatorum commodo adjectio cedit, siquidē mercatura vix exerceri posset, si adjecti constitui non possent, quod tamen eò intellectum velim, si scilicet adjectus in eôdem, quô contractus tempore erat, statu perseveraverit *l. 38. pr. ff. de sol.*

Th. VI. Consideratô nunc primô articulô, Subjecto scil. seu quod idem est, personis in solutione intervenientibus, consequens est, ut de alterô quoqve, utpote *Solutionis modo* paucis exponamus, ubi ad duo potissimum nobis respiciendum, solutionis nimirum *Formam & Objectum* ipsum, ad illam refero tum locum opportunum tum tempus solutioni præstandæ commodum; Hoc rem, quæ in contractum deducta & ex obligatione debetur constituo *l. 98. §. 6. ff. de sol.* Locum proinde quod concernit, neminem fore arbitror, qui ambiget, quin, si contrahentes hujus nomine convenerint, ejusmodi conventioni tanqvam rei non minoris momenti strictè sit inhærendum *arg. l. 32. ff. de usur. & fruct.* præprimis cum ejusmodi adjecta qualitas tantam subinde utilitatem continere ac suppeditare valeat, ut ob id solum eandem utramqve in hôc negotiô paginam facere haud absurdè quis affirmaverit.

Th. VII. Hinc rem istam eò solidius composituri Dd. distin-

gvunt, utrum conventioni ejusmodi expreſsè atque ſpecificè locus adjectus ſit, utrum ſolummodo ex contractûs natura tacitè ibidem interveniat; utroqve caſu ſive ſcilicet de certô ac determinatô locô inter perſonas contrahentes convenerit, ſive id, ex naturâ contractus deſumendum ſit, ubi ſolutionem præſtare oporteat, tali omninò conventioni ſtandum erit, in tantum, ut debitori aliô in locô, ac ab initiô convenit, ſolvere volenti, neutiqvam id ſit concedendum *l. 2. §. 7. & l. pen. ff. de eô quod cert. loc.* quin potius is ſerio adigendus, ut anteqvam legi contractus ex aſſe ſatisfecerit, ne latum quod ajunt ungvem à formâ præſcriptâ recedere poſſit, ſiquidem in hôc potiſſima conventionis vis ac natura ſeſe exſerit, ut quid à contrahentibus actum fuerit, ſedulò ab iis attendendum veniat.

Th. VIII. Neqve etiam eſt ut debitor aliô in locô, ac promiſit, ſolvere volens, vel minimum fructum inde ſperare valeat, cum locô incongruô offerens debitum minime per id ab obligationis vinculo liberetur, cujus ratio potiſſimum in commoditate creditoris radicata cernitur, cum enim utilitatis gratia is eundem locum ſibi elegiſſe credatur, hinc ipſi invito eundem à debitore interverti, utiqve tanqvam res mali exempli & iniqvitatis plena minime eſt toleranda, ſi quidem jura, quæ omnes æquali fronte adſpiciunt, nemini conſilium ſuum in alterius præjudicium mutare permittunt *l. 75. ff. de R. J.* ſicut vice verſa nec debitor invitus tenetur, ut debiti ſolutionem alio in locô præſtet, quam quô ſtatim ab initio ſe ſoluturum promiſit. *l. uſuras* 8. *C. de ſol.* quin & illud huc referendum exiſtimo, quod Creditor non poſſit petere unam partem debiti coram unô judice, & aliam partem coram aliô judice, quando nimirum ſumma una ac ſola eſt, & unô eodemqve tempore debetur, ſecus ſi diverſa ſumma & una pars hodie & altera infra menſem debeatur, nam tunc diverſos judices adire poterit Trentacinqu. *Lib. 2. reſ. p. 6. n. 5.* Menoch. *in tr. de arbitr. jud. quæſt. lib. 2. cent. 4. caſ.* 371.

Th. IX. Hanc, quam de locô hactenus conſideravimus circumſtantiam, alia nunc excipit ratione *temporis*, quam quô vehementius debitores extimeſcunt, eô avidius contra eadem à Creditoribus expectatur, proinde ut amborum cupiditates certis limitibus circumſcriberentur, non absqve ratione à LL. fuit ordinatum, ut id,

quod

quod debetur, neque maturius, neque tardius sed congruô ac a partibus ipsis præfixo tempore solvatur *l. 39. ff. de sol. l. 41. §. 1. de V. O.* ut enim tardius solvens minus solvisse, sic parem in modum, qui maturius solvit, plus solvisse in jure nostrô reputatur, *§. plus autem J. de Act. l. si cui ex emptô ff. d. V. S.*

Th. X. Hinc nobilis illa, neqve ab hôc locô aliena exsurgit quæstio: *Utrum scil. debitum in diem invito Creditori ante diem à volente debitore solvi possit?* de quâ num in factô quoqve aliquando contingat, licet haud ineptè aliquis dubitaverit, præprimis ubi considerare velit, hodienum plures Creditorum conqueri, quod ipsis post diem etiam malè solvatur, non tamen propterea eandem plane siccô quod dicitur pede prætereundam existimo, & quamvis non exigui nominis JCti, interqve eos quoqve Cujacius, *ad l. 38. ff. de V. O.* negativam sententiam suam faciant, mihi tamen in præsens affirmativa tanquam communis magis arridet, quam quoqve hâc vice defendere mihi est propositum; moveor autem (1) autoritate *l. 70. l. 98. §. 4. ff. de sol. l. 35. §. 16. l. 137. §. 2. ff. de V. O.* Carpz. *p. 2. c. 28. d. 11. & seqq.* (2) ratione, quod diei dilatio regulariter promissoris gratiâ adjectus censeatur, cui totum tempus intermedium ad solvendum liberum relinquitur, *l. 17. ff. de R. J.* D. Richter *decis. 73.* jam verò quilibet favori pro se introducto renunciare potest, *l. ult. C. de pact.* aliud vero dicerem, si Creditoris gratiâ præstationi faciendæ dies adjectus sit, idque vel nominatim & expresse conventum, vel evidentibus argumentis appareat, tunc enim præmaturè solvere volentem repelli posse libens lubensqve concesserim, quam limitationem quoqve approbat Dn. Præses *in Coll. Publ. ad tit. ult. ff. de R. I. p. 1. Disp. 7. Reg. 17. Limit. 3.* ubi & aliam adhuc ponit limit. atque hanc quæstionem solidissimè pertractat, quo me remitto,

Th. XI. Hisce nunc circumstantiis breviter ita delineatis, instituti nostri ratio ad ipsum præsentis nostræ materiæ objectum ejusque enodationem nos deproperare hortatur, quod quamvis communiter à Dd. alternativè constituatur, atque vel *in dandô* vel *in faciendô* consistere ab iisdem adfirmetur, mihi tamen id ipsum duabus sequentibus regulis includere placet, quarum (1) omnis res, cujus commercium LL. non est interdictum, rectè solutionis objectum constituit, *l. 182. ff. d. R. I.* (2) Id est solvendum, quod debetur, cu-

 jusqve

jusqve ab invitô exigendi competit actio *l. 1. ff. de R. C. §. 2. I. quib. mod. toll. oblig.* creditoris enim desiderio plenè juxta obligationis normam ac substantiam tàm ratione qualitatis, quàm quantitatis satisfaciendum.

Th. XII. Unde jam non alienum existimo famosam istam ac in praxi non infrequentem proponere quæstionem; *Utrum Creditori invito particularis solutio à debitore obtrudi possit?* cumqve in hoc ipsô præsentis nostræ disputationis materia potissimum suam inveniat sedem, meritò de iis, quæ hactenus in genere monuisse sufficiat, secessum facientes, ad specialiora nunc descendimus; Nostram proinde propositam quæstionem quod concernit, omnes fermè in universum Doctores negativam unô ore profitentur, hujusqve suæ assertionis fundamentum, tàm in ratione, quod particularis solutio atque partium exactio non minima sæpè soleat excitare incommoda, *l. 3. ff. fam. ercisc.* quàm aliis juris textibus *l. 9. C. de sol. l. 13. §. 8. de act. empt.* radicatum ponunt, ac certè quatenus scil. quid regulariter obtineat, quæritur, nec ego aliud dicendum puto, siquidem nemo facilè inficias ibit, debiti totalis præstationem lucro cedere creditori, vel saltem ex usu pecuniæ, quo tamen vel penitus carere cogitur, vel multis difficultatibus atqve molestiis implicatur, si solutum distinctis terminis & particulatim accipere sit obstrictus, quibus ipsum affici mihi equidem semper iniquissimum visum, cum enim ex naturâ obligationis Creditoribus jus solidum prosequendi fuerit acquisitum, non admittendus videtur, qui solutione particulari id invito creditori adimere velit, jura siquidem non permittunt, ut alteri per alterum iniqua conditio inferatur *l. 74. ff. d. R. J.* & ut Hottom. scribit *qu. illustr.* 22. unius obligationis unam eandemque individuam oportet fieri præstationem; non tamen propterea dubitandum, quin uti nulla regula tam firma, quæ non suas sæpè admittat exceptiones, ita quoqve eundem in modum plurimi dantur casus, in quibus particularis solutio inveniat locum, aut enim aliquando creditores spontè & spontaneo motu benevolentiâ ducti solutionem particularem admittunt, aut legis dispositione coacti id faciunt, quorum omnium expositionem, ne capitulum hoc nimium excrescat in tertium atque seqvens rejicere cogor.

CAP.

CAPUT III

Continet casus, in quibus solvere liceat minorem summam, & sic partialiter in deductionem majoris.

SUMMARIA.

Th. I. In omni negotiò, quando à contrahentib9 id actum, quod potissimum inspiciendum, ex conventione partim minuatim solvi potest, Q. quomodo dictio illa an baaren Gelde, *interpretanda? Debitum illiquidum admittit particularem solutionem.* II. *Judicis officium est lites abbreviare.* III. *In personis heredum.* IV. *Nec non in pluribus reis debendi, viriles partes solvi possunt.* V. *Favore libertatis multa contra juris regulas admittuntur.* VI. *Emphiteuta ob canonis particularem solutionem Emphiteusin non amittit. Quando LL. & statuta particularem solutionem admittunt, solutio ultra tres terminos non est extendenda. In publicis particularis solutio admittitur.* VII. *Calamitosis ac depauperatis debitoribus particularis solutio est concedenda. Conducibilius est partem debiti accipere, quàm planò nullam. Potest quis ex causa ad particularem solutionem accipiendam cogi per judicem.* VIII. *Per novissimum Recessum Imperii de Anno* 1654. *solutio particularis approbata.* IX. *Ob privilegium competentiæ quibusdam personis particularis solutio indulgenda.* X. *Q. utrum debitoris libero arbitrio relictum, quantam debiti partem solvere velit?*

I.

Primò itaque, uti in omni negotiorum genere potissima solet haberi ratio eorum, quæ à contrahentibus gesta sunt, quippe quibus propriè competit facultas legem dicere contractui *l. 10. C. de pact. l. 1. §. 6. ff. depos.* ita quoque, si ex conventionis instrumentô appareat, id inter contrahentes partes actum fuisse, ut integrum sit debitori, solutionem particulariter præstare, ita ut una pars debiti hodiè, altera cras afferatur, minimè dubitandum erit, quin hujusmodi conventioni ejusque præscriptæ formæ vis sua constare possit, Zang. *de except. p. 3. c. 2. n. 27.* siquidem tunc locus erit regulæ *in l. 17. §. 3.*

 ff. com-

ff. commod. l. 21. §. 2. *ff. de neg. gest.* quod ab initio est voluntatis, ex post facto fit necessitatis, nec est de quô creditor postmodum justè conqueratur, sibi enim ipsi imputare debet, quòd eundem in modum contraxerit, sibique quod facere poterat, non melius prospexerit, damnum autem quod quis suâ culpâ sentit, non sentire videtur. *l.* 203. *ff. de R. J.* Circa hoc non minus utilis quàm dubia exsurgit quæstio, quomodo, si inter duos ita fuisset conventum, ut solutio debiti intra biennium numeratâ pecuniâ fieret, dictio illa an baaren Gelde interpretari debeat? & quamvis ab initiô solutio in unâ ac individuâ summa promissa videatur, (1) quod nulli termini in conventione expressi (2) tota summa simul pecuniâ numerata, exsolvenda promissa, cujus dictionis ea sit natura ac propria significatio, ut pecunia ad manum habeatur & prompta sit & parata ut statim numerari possit (3). Expressio biennii non in eum finem adjecta sit, ut debitori intra illud tempus liceret solutionem per partes offerre, sed potius ne post illud tempus effluxum rem emptam ulterius petere possit. His omnibus tamen non obstantibus contrarium affirmare nullus dubito, præprimis, quia in conventione non reperiuntur adjecta verba, in unâ ac individuâ summâ, quæ tamen, sin aliter debitor ad totius præstationem firmiter adstringi debuisset, necessariò exprimenda fuissent, quo intermisso semper in obscuris (ob indistinctum sc. & indefinitum in contractibus sermonem) quod minimum est sequimur, *l. 9. ff. d. R, J.* (2) dictio illa an baaren Gelde solummodo ad excludendas alias res adjecta sit, & (3) biennii tempus in favorem debitoris adjectum censetur, qua obligationi satisfacit si intra illud spacium, quamvis diversis terminis solvit D. Richt. *Vol. 2. Cons.* 397.

Th. II. Secundò non raro evenit, ut debitum, quòd in controversiam atque judicium deducitur, nondum omni ex parte sit liquidum, sed ita qualificatum, ut partem ejus debitor fateatur, alteram contra neget, proindè tali casu ex dispositione legis judicis prudentis officium requirere videtur, ut lites, quantum quidem fieri potest, dirimat, quod commodè faciet, si creditori partem confessatam accipere injungat, de reliquo ipsi jura competentia salva atque integra reservando, *l.* 21. *ff. de R. Cred.* ita enim brevi fiet, ut lis non modò finiatur, verùm quoque ejusdem ma-

materia, ut in igne, ceu loquitur Brunnem, *ad d. l.* 21. minuatur atque subtrahatur vid. Dn. Richter *decis.* 75. *n.* 16. & 17. B. Carpzov. *lib.* 5. *Resp.* 99. *n.* 8. & *seq.*

Th. III. Sic pariter Tertiò legis necessitate particularis debiti admittitur solutio in casu, quo defuncto debitori plures heredes existunt, tunc enim eorum quilibet saltem pro parte suâ & ita pro ratâ conveniri potest, cum hoc in casu nomina ipsò iure sint divisa *l.* 2. *C. de hered. act. l.* 26. *C. de pactis* quamvis si rem in effectu consideremus, totum, quod debetur, verè ac realiter consequatur *l.* 2. & *t. t. C. de hered. act. l. in execut.* 85. §. 1. *ff. de V. O.* adeò ut si ex parte saltem heres institutus, decem, quæ defunctus promiserat, tota solvat, pro parte, quâ heres non est, possit condicere *l.* 25. *ff. de solut.*

Th. IV. Neque Quartò diversum obtinet in duobus reis debendi, quod si enim unus ex illis pro suâ parte solverit, atque id se pro suâ parte solvisse expressè declaraverit, Creditorem alteram quoque debiti partem postulantem pacti exceptione repellere potest vid. Brunnem. *ad l.* 18. *C. de pact. n.* 1. & *seq.* E. g. pone: habeo tres vel plures debitores correos debendi in solidum (die sich sämbtlich und sonderlich vor eine Summe verschrieben) & recepi ab unò eorum partem debiti prò suâ ratâ; postea volo convenire unum ex reliquis debitoribus ad solidum residuum, is opponit exceptionem, quod fecerim pactum, me ab unóquoque partem sibi contingentem tantùm petiturum, ergo replicando dico, me partem debiti quidem ab unò recepisse, sed tale pactum mé nunquam fecisse, Reus conventus verò recte se tuetur exceptione pacti non quidem expressi, sed taciti a lege inducti, ex quo enim partem debiti ab uno recepi, videor á jure solidi recessisse & tacitè fecisse pactum, quod quemlibet debitorem pro virili tantum portione convenire velim; alias in hac quæstione, utrum nimirum Creditor plurium reorum portionem virilem petens vel recipiens, actionem suam hôc ipso inter eos diviserit nec ne? ita distingui solet: aut enim Creditor recipit solutionem pro sua parte contingente ab uno ex pluribus obligatis in solidum, aut Creditor convenit unum ex correis in solidum obligatum ad illius partem; Priori casu concors DD. schola comprobat, quod Creditor recipiendo solutionem pro suâ parte contingente ab uno

ex

ex pluribus obligatis in solidum, sibi præjudicet, ne postmodum ulterius solidi exactionem contra unum ex iis instituere possit, sed credatur hoc ipso summam inter eos divisisse *l. si creditores C. de pact* Rationem ponunt in eo, quòd accipiendo pro suâ parte videatur facere actum directò contrarium obligationi præstandi solidi, hac tamen sub limitatione, quando Creditor recipit partem ab uno ex correis solvendi pro portione seu ratâ ad ipsum spectante sicque procedit *d. l. si creditores.* Secus verò est, quando id recipit simpliciter sine commemoratione partis ad ipsum spectantis (2) limit. procedere, quando solutio facta est pro ratâ ejus qui solvit, aliud dicendum, si plus vel minus sua parte solutum sit, tunc enim divisio non inducitur. Posteriori casu iterum duos constituunt casus, aut enim (1) Creditor convenit unum ex pluribus reis debendi simpliciter, & tunc nullam inde actionis divisionem nasci puto, *l. reos C. de fidejuss.* (2) aut convenit unum ex pluribus reis debendi e. g. ad quinque pro suâ parte, vel pro suâ personâ & neque hoc casu divisionem induci statuo, quia tunc magis debitum minuere, quam dividere voluisse creditur, vid. Dn. Freyerus *tr. de Sol. cap. 2. quæst. 2. n. 25.* Trentacinq *lib. 3. Ref. 6. per. tot.*

Th. V. Præterea Quintò, uti multa contra juris civilis rigorem pro libertate sunt constituta *l. 24. §. 10. de fid. lib.* ita quoque in hâc nostra materiâ ejusdem favore LL. introductum accepimus, ut si alicui libertas hâc lege testamentô concessa esset, ut decem heredi solveret, eum tunc solutionem per partes accipere teneri *l. 4. §. 6. ff. de Stat. lib.*

Th. VI. Similiter Sextò patrimonialium Fundorum possessoribus ut & Emphiteutis legis beneficio indultum est, pensionem annuam particulatim & pluribus vicibus solvere, in tantum, ut quamvis alias Emphiteuta ob cessationem solvendi Canonem jure suo privetur, *cap. fin. X. de loc. cond. l. 2. C. de jure Emphit.* æquitate tamen receptum sit, ut etiamsi non totum, sed partem saltem canonis intra tempora constituta solverit, nec totam Emphiteusin, nec ejus partem hoc casu amittat, siquidem non potest dici non solvisse solvens accipienti partem aliquam, cum etiam particularis solutio creditore volente facta sit solutio, *l. tutor, §. Lucius ff. de Us. & hab.* neque obstat Regula *l. 55. §. 6. ff. d. V. O.* quod qui tenetur aliquid solvere sub pœna, incidat in pœnam, si totum non solverit,

quo-

quoniam pœna ista privationis Emphiteuseos non tam introducta est propter pecuniarium domini interesse, quod in aliis casibus & stipulationibus obtinet, ac de quibus loquitur allegata regula sed potius quod Emphiteuta non solvens præsumatur dominum jure suô privare eumq; non amplius recognoscere velle, sed semetipsum quodammodo dominum facere intendere, quod certè non facit, qui partem solvit, paupertate forte impeditus, Trentacinq. *lib. 3. var. res.* 4. *n.* 19. Carpz. *p. 2. c. 38. d.* 4. dummodò id probè observaverint, ut numerum ternæ illationis non excedant totiusque anni pensio ante Idus Januarii sit soluta *L.* 4. *C. de Collat. fund. patr.* Ubicunque enim LL. vel Statuta admittunt particularem solutionem, ibi ultra tres terminos dividendam solutionem non esse, consvetudine receptum monet Gomez. *r.* 2. *Res. c.* 2. *n.* 13. quod intellige ubi nulla captio Creditoris. Ex quô textu Brunnemannus colligit, in publicis particularem solutionem contra *reg. L. 3. ff. fam. ercisc.* admitti, & sic Fiscum quoque particularem solutionem permittere teneri, idque vel ex eô, quod tempora certa pensionum non sint, vel ut subleventur possessores agrorum patrimonialium, vel ut Fiscus facilius suum consequatur, utpote cum facilius sit, plures particulas separatim expendere, quam integram summam unavice repræsentare. Mæv. *in discursf. lev. cap.* 4. *sect.* 9. *n.* 5. nec non D. Præses, *in disf. de pecunia statis temporibus solvenda c.* 4. *th.* 3. & 12. ubi consvetudinis mentionem facit, quâ in contractu locationis conductionis merces singulis quadrantibus von Quartal zu Quartal/ solvi solet, eumque morem regionis probè attentendum esse statuit ex *L.* 34. *ff. de R. J.* & rationibus ibi adjunctis.

Th. VII. Quin & septimò, ipsa quandoque æquitas, arctum illud humanæ societatis vinculum svadere videtur Creditoribus, ut, præsertim calamitosô hôc seculô, quô varii generis calamitas omnium penè loculos excussit, de jure suô paululum recedentes, sine culpâ suâ depauperatis atque ad incitas redactis debitoribus particulatim debita sua solvere indulgeant, cum enim miseri ejusmodi ac infelices personæ subinde non habeant, unde vitam sustentare possint, quibusq; vita onus, mors verò solatium est, *arg. l.* 5. *C. ad L. Jul. Maj.* conducibilius & æquius erit particularem amplecti solutionem, quam plane nullam & ad desperata consilia adigere debitorem, vid. Mævius *d. l. n.* 7. quod cæcâ avaritiâ excæcatos notare jubet Brunn.

ad l. 4. C. de Coll. fund. patr. & Emphit. n. 5. & si forsitan quidam creditores tam morosi atque ab omni commiseratione remoti existant ut omnibus personis rationibus posthabitis nihil planè de jure quæsitô remittere velint, quin tali casu Princeps ex plenitudine potestatis in ejusmodi morosos homines animadvertere eosq; ad particularis solutionis acceptationem per remedia juris compellere possit, minimè dubitaverim. Necque prædictis obstat, quod nemini jus suum sit detrahendum §. 2. *J. de his qui sui vel al. jur.* Siquidem antiquis JCtis nullum piaculum fuit, vel saltem æquitatis intuitu debitores ad præstationem debiti particularem admittere, ita enim Julianus svadet, Prætorem humanius facturum, si actorem compulerit ad accipiendum id quod offeratur h. est, partem debiti, *in l. 21. ff. de reb. cred.* hôc enim mediô servatô fiet, ut nec debitores omni vitæ denudentur subsidiô, neque etiam creditores suô creditô defraudentur.

Th. VIII. Pari ratione (8) per novissimum Recessum Imperii de Anno 1654. tanquam lege Imperii germanici universali, solutio distinctis partibus celebranda est approbata §. So viel nun vers. Falls aber drittens ein Creditor, nach verfliessung erst vermelder drey Jahr solche Auffkündigung thäte / soll dem Debitori in den nächst darauf folgenden sieben Jahren frey stehen und zugelassen seyn / die Capital-Summa particulariter und auf gewisse / nach dem die Summa groß oder klein ist / proportionirte billichmäßige zween / drey / vier / funff / sechs oder zum hochsten sieben Termin 2c. abzulegen / der Creditor aber / solche anzunehmen schuldig seyn 2c. quod ipsum tamen ratione debitorũ belli calamitate depauperatorum interpretandum, cæteri enim, qui bona sua per luxum dilapidarunt, aut adhuc ita negligenter tractant, ut nulla relinquatur spes illos ad pingviorem fortunam quandoq; perventuros, beneficiô hôc meritò excluduntur, (2) limitatur, quando Creditor, nisi recipiat creditum, ipse non habet, unde se suamque familiam conservare potuit, tunc enim debitori hôcce beneficio frui haud licet, siquidem cum æquitate pugnaret, debitorem de alieno triumphare, creditorem verò suis carere & summa inopiâ premi.

Th. IX. Denique novus adhuc ac planè specialis circa hanc materiam sese offert modus, quo Creditoribus particularis solutio quandoque obtruditur, utpote in casu, quo eorum debitores beneficiô

ciò competentiæ uti vocant privilegiati conspiciuntur, hos enim ultra id, quod facere possunt non teneri & alimenta, ne egeant ipsis relinquenda esse, evincit *l. 30. ff. de re jud. l. 173. d. R. I.* sunt autem: Parentes §. 38. *I. de Act.* Patroni *alleg.* §. 38. *l. 5. de obseq. par. atq; patr.* Maritus *l. 17. de re jud.* Uxor *l. 17. §. 1. ff. sol. matr.* Socii, *l. 16. l. 22. de re jud.* Milites *l. 19. de re jud.* Donatores *d. l. 19. l. 41. in f. ff. de re jud.* Debitores, qui omnibus bonis cesserunt, quoad bona postea acquisita, modo tamen vitiô fortunæ utpote naufragiô, incendiô, ruinâ aliâve vi majori tales facti sint. *l. 4. C. qui bon. ced. poss.* Quibus quoque accensendos putant DD. principes, Comites, Barones, nobiles, Dn. Struv. *S. J. C. Ex.* 44. *th.* 19. in tantùm ut non modò in deductionis computatione eorum, quibus pro victu & amictu nec non ad comitatum juxta illius dignitatem opus habet, ratio haberi debeat, verum quoque quantum eorum, quorum ministerio ac consiliô utitur salaria concernit, deducere valeant vid. Dn. Præses *Diss. de pec. stat. temp. sol. cap. 5. th. 8. ibiq; citat.* Lauterbach. *diss. de benef. compet. th. 11. & seqq.*

Th. X. Hucusque de modis, quibus ex dispositione legis partium solutio toleranda atque à Creditoribus accipienda venit, cui nunc lubet sequentem subjungere quæstionem, *Utrum particularis hæc solutio à mero ac liberrimò debitoris arbitriò dependeat, ita, ut hic pro placitò statuere ac determinare valeat, quantam debiti particulam exsolvere velit?* quod quamvis primo intuitu videatur affirm. idque propter generalitatem textus *supr. alleg. Recess. Imperii* verba: soll dem Debitori frey stehen und zugelassen seyn &c. His tamen non obstantibus Negativa sententia mihi verior videtur, ita ut neque Debitori neque Creditori, utpote in propriâ causâ, judicium ferre neutiquam permitti debeat, sed potius judicis arbitrio unicè relinquendum, qui omnibus circumstantiis probe ponderatis partis solvendæ quantitatem ex æquô & bonô determinet, de quibus enim nihil specialiter cautum reperitur, ea non partis, sed judicis arbitrio rectius submittuntur *l. 1. §. f. ff. de jur. delib.* Aliud dicendum foret, si creditor solutionem simpliciter debitoris voluntati reliquisset hisce verbis: Er Creditor wolle geschehen lassen / daß der Schuldner das Capital nach eigenen Willen und Belieben abführen möge ꝛc.

CAPUT IV.

DE
Diversis particularis solutionis Effectibus, ejusque probandi modis.

SUMMARIA.

Th. I. *Effectus solutionis alii liberatorii, alii obligatorii, parte debiti soluta prior obligatio non in totum extinguitur, in dubio nemo donare præsumitur, parte debiti per solutionem sublata jus pignoris vel Hypothecæ integrum manet.* II. *Q. ex pluribus causis solvens, in quam partem solvisse credatur? Debitoris est electio in quam causam solvere velit.* III. *In dubio in duriorem causam solutio facta creditur. Durior causa quot modis dicatur?* IV. *Q. utrum potius in sortem, an in usuras solutio computanda.* V. *Ex solutione partis probatur quasi possessio. Solutio partis tollit præscriptionis beneficium in reliquo.* VI. *Solvens partem debiti totum debitum agnovisse censetur, præstatio partis tollit exceptionem non numeratæ pecuniæ. Solutio partis operatur, ut contractus dicatur perfectus.* VII. *Solutio non præsumitur, probatur (1) testibus, (2) per Apocham, (3) Creditoris confessione, (4) juramento; Q. quando una quantitas apparet soluta per testes, alia per apocham, an duæ quantitates solutæ præsumantur?* VIII. *Q. num parte debiti oblata usurarum cursus ex parte tollatur? Q. an coactus accipere particularem solutionem, recipiendo sortem pluribus vicibus videatur remisisse damna & interesse? in dubio non præsumitur renunciatio.*

§. 1.

Absoluto nunc Solutionis actu, consequens est, ut secundum operis nostri dispositionem ad ejusdem quoque effectus recta quod dicitur via, progrediamur, quos duplicis generis esse deprehendimus, liberatorios scilicet & obligatorios, ex solutione facta, resultantes, atque aliter in creditore, aliter in debitoris personâ vim suam exserentes. in eo enim [illegible]lonariam partis solutæ operantur liberationem residuo in obligatione manente *l.* 9. §. 1. *ff. de sol.* uti enim obligatio tanquam

quem mater progignit filiam actionem, sic pariter solutio liberationem. Idque procedit sive obligatio sit naturalis sive civilis, sive ex utroque mixta *l. 95. §. 4. ff. de solut.* Schneidew. *ad pr. J. quibus mod. toll. obl. n. 4.* tam in principali quam accessoria obligatione *l. si rem 20. §. omnis 1. ff. de sol.* in hoc scil. debitore secundum factam præstationem proportionatam ab obligationis nexu relaxationem *d. l. 9. §. 1. ff. de solut.* nam parte debiti solutâ, prior obligatio non in totum extinguitur, sed pro parte non soluta regulariter manet salva, e. g. à quo 100. efficaciter exigere possum, si ipse 50. tantum solvat, is tali solutione quoad reliqua 50. non liberatur, sed firmiter manet obligatus *arg. l. 9. C. de sol. pr. J. quibus modis toll. oblig.* partem siquidem accipiens vel remittens, non statim reliquam quoque partem remittere censetur, sed potius illam sibi salvam reservare velle videtur, cum nemo in dubio donare præsumatur, maximè si homo diligens & studiosus paterfamilias sit. *l. 25. ff. de prob.* procedit autem hoc ipsum, quod residui obligatio duret, non tantum, si lege pars debiti fuerit remissa, aut ex legis dispositione creditor partis solutionem admiserit, sed etiam, si ipse sua sponte partem debiti à debitore oblatam acceperit. Ubi tamen benè notandum: quod quamvis partitiaria solutio accepta particularem quoque liberationem inducat, propterea tamen pignoris vel hypothecæ jus neutiquam solvatur: illud enim quatenus securitatis gratia constitutum est individuum est, nec particularem sui solutionem propterea admittit. Hinc si debitor tradidit pignus creditori pro debito & decedat pluribus heredibus relictis, & unus eorum vellet offerre partem debiti, pro portione sua hereditaria uti fieri posse jam supra *th. 2. h. cap.* dictum fuit, non poterit consequi pignus, nisi totum debitum offerat & solvat, *l. in executione pen. ff. d. V. O. l. 38. §. 14. ff. fam. ercis. vid.* Friderus *de continentia. caus. l. b. 3. c. 13. n. 10. & seq.*

Th. II. Unde sequens ac elegans hic excutienda venit quæstio, *si debitor ex pluribus causis solvat, auf Abschlag, in quam causam, id quod solutum est, imputari debeat?* quæ ut eò melius cognoscatur, certi nobis distinguendi erunt casus; Aut enim (1) debitor partem solvens simul expressit, in quam causam solutionem istam cedere velit, & tunc nullum est dubium, quin ejusmodi conditioni sit parendum, uti enim ipsius est legem dicere contractui, ita

quoque priores ejus hîc in re sunt partes per *l. 1. pr. ff. de sol. l. 1. C. eod. tit.* quod tamen eo temperant DD. ut in re præsenti, id est, in ipsô solutionis actu debitori modò dicta electio competat, neque verò existimandum, quasi per hoc creditori omnis libertas adempta sit, utrum in eam causam accipere velit, nec ne, sed, si tamen semel accepit, ut ut protestatus sit, se in aliam causam accipere, minimè eundem audiendum statuimus cum Hartm. Pist. *p. 3. qu. 31. n. 4.* Zang. *de Except. p. 3. cap. 1. n. 237.* aut (2) indeterminata à debitore facta est partis præstatio, & hôc casu convertendam electionem communis DD. est doctrina, iisdem ratione temporis in Creditore observandis, quæ in personâ debitoris supra observare monuimus *d. text. in l. 1. ff. de sol. & C. ibid.* debet tamen hoc casu creditor boni viri officium sequi, atque in eam causam accipere, ex quâ se ipsum soluturum fuisse probabile videri possit, uti latius hanc rem exponit Hart. Pist. *d. l. n. 7. & seq.* it. B. Carpz *lib. 5 Resp. 99.*

Th. III. Quod si verò, quod facilè evenire posse arbitror, neque Debitor neque Creditor se invicem declaraverint, in quam causam istam præstationem cedere desiderent, tunc distinguendum, utrum debita & causæ sint æquales, & tunc solutio in omnes pro ratâ facta videtur, *l. 8 ff. de solut.* an verò causæ vel debita sint inæqualia, quo casu in duriorem causam solutionem factam, respondemus *per. d. l. 1. & l. 97. ff. de sol.* in tantum, ut cum hoc in jure ita præsumatur *l. 5. ff. de sol.* solvens, qui non in duriorem causam consentit, necesse habeat probare, quod in aliam causam solvere voluerit vid. Carpz. *lib. 5. Resp. 103 per tot. Id. p. 2. c. 29. d. 16. & 17.* nec non Trentacinq. *lib. 2. res. 35. n. 1. 2. & seq.* Dicitur autem durior causa in jure nostrô variis penè modis (1) ratione famæ, unde potius in id, quod ex famosâ causa, quàm ex non famosa debetur, solutum esse dicitur. *l. 7. l. 97. pr. ff. de sol.* cui tamen præfertur causa vel membrum vel vitam hominis attingens *l. 1. ff. de bon. eor. qui mort. sib. consc.* (2) ratione pœnæ *d. l. 97. pr. ff. de sol.* (3) respectu causæ, quæ sub hypotheca & pignore, vel datis fidejussoribus debetur, *l. 4. ff. de sol.* (4) quæ ex instrumentô paratam habente executionem dependent *l. 7 ff. de sol.* vid. Dn. Philip. *us Inst pract. lib. 3. Ecl. 93. per tot.* nec non Dn. Richter *decis. 74. n. 107.* quo & illud pertinet, quod solutâ quantitate proportionatâ ad unum debitum, eadem facta credatur in extinctionem

dicti

dicti debiti, non autem diversi vid. Ayrer. *Th. jur. Lit. S. num.* 131.

Th. IV. Sed prædicta, si de pluribus iisque diversis debitis quæstio sit, ita obtinent, quod si enim de unô ac eodem debitô cum sorte simul usuras comprehendente controversia sit, tunc pecuniam simpliciter solutam in usuras computandam dicimus per *l.* 5. §. 2. *l.* 18. *ff. de sol. addatur* Illustris Dn. Struv. *S. J. C. Ex.* 44. *th.* 74. Carpz. *p.* 2. *Const.* 29. *def.* 18. Richter *p* 2. *decis.* 74. *n.* 105.

Th. V. Hactenus de Effectibus liberatoriis, sequitur nunc ut de obligatoriis quoque brevibus dispiciamus, quorum Primum constituimus, quod ex solutione probetur quasi possessio rei, ex quâ præstatur solutio, & sufficit unicum actum solutionis in causa census, decimæ, pensionis jurisdictionalium &c. intervenisse, Posth. *de Summariiss. poss. obs.* 18. *n.* 26. & 45. quòd tamen eò limitandum, ut si cum protestatione ejusmodi solutio celebrata fuerit, sine præjudiciô quorumvis jurium competentium, minimè tunc per illam quasi possessio sit acquisita *d. l. obs.* 35. *n.* 46. Hunc nunc excipit secundus ille sc. quod solutio partis videatur tollere præscriptionis inchoatæ beneficium in residuô, uti enim actus prohibitionis præscribere volenti impedimentô est, quò minus postea ob factam interruptionem præscriptionem cœptam adimplere possit, ita pariter hic actus solutionis debitorem in mala fide constituit, ut postmodum de residui præscriptione desistere cogatur vid. Lud. de Ponte Rom. *Cons.* 195. *n.* 4.

Th. VI. Tertius Effectus est, quod solvens partem debiti confessi, per hujusmodi actum totum censeatur agnovisse debitum, ut posthac ipsi non amplius sit integrum exceptionem non numeratæ pecuniæ opponere Chassaneus *Cons.* 27, *n.* 11. neque etiam quoad residuum seu partem nondum solutam exceptionem prætendere valebit, cum semel bonam fidem agnovisse censeatur *l.* 10. *ff. de acquirend. hered.* Prout Halis Saxonum in judicio Salinario vulgò im Thalgerichte in causa Volkraths von Rauchhaubt contra Hans Clausen Wittbe und Erben Anno 1650. judicatum fuit, verba sunt: Weilen erwehnten Hansen Clausen Wittwe nach ihres Mannes Tod dem von Rauchhaubt die geforderten 75. Thl. zu zahlen versprochen/ Jhme auch darauf 30. fl. entrichtet/ daß nunmehr derselben Erben

ben den Nachstand sambt denen à tempore moræ aufgelauffenen Zinsen zu bezahlen schuldig V. R. W. proinde si legati partem solverit, particularis ejusmodi solutio quoque confirmabit legatum in residuô *l, 58. ff. d. leg. 1. Card. Tusch l. S. Concl.* 243. pariter quartò Emptor, qui partem pretii solvit, fructus suos facit pro ratâ pretii soluti, Joh. Bapt. Costa, *de quota & rata qu.* 91. *n.* 1. Denique quintò solutio partis pretii operatur, ut dicatur contractus perfectus, ne amplius ab eô recedatur, uti pluribus exponit Menoch. *Cons. Vol.* 9. *Conf.* 866. *n.* 4.

Th. VII. Ut autem partis solutio hactenus recensitos effectus producere possit, ante omnia certò constare debet, eandem actu intervenisse; neutiquam enim liberatur debitor, si alicui solvere jussus, solutionem duntaxat promisit *l. 21. ff. de novat.* proinde cum solutio sit facti, non præsumitur, sed probanda venit *l. 7. §. ult. ff. de curat. furios. l. 1. C. de sol.* Menoch. *lib. 3. de præs. præs.* 135. probanda verò ab eô, qui eam factam esse intendit, i. e. qui se solvisse adfirmat *l. ult. C. h. t. l. 21. ff. de prob.* & quidem (1) Testibus *l. 1. C. de test.* solis collectarum solutionibus exceptis *l. 1. C. de Apoch. publ. 2. C. de conven. fisc. deb.* (2) per Apocham. *l. 14. ff. de sol. l. 19. C. de fide instr.* ubi quæri solet, *quando una quantitas apparet soluta per testes & alia per apocham, an duæ quantitates solutæ præsumantur?* Negat Matth. de Afflict. *decis.* 198. quia probatio ista per testes non est nova dispositio, sed probatio, *l. publica ff. depos.* quod tamen ita temperandum existimo, ut scilicet confessio præcedat, & postea sequatur scriptum, præsumitur enim tunc facilioris probationis causa scripturam adhibitam fuisse. (3) propria Creditoris confessione, quippe quâ nulla melior nullaque major ac efficacior probatio reperiri potest, *l. 5. C. de transact. l. 13. C. de non num. pecun.* quin & (4) accidit ut juramentô nonnunquam solutio probanda veniat, utpote in casu quô incendiô, naufragiô vel aliô quovis casu fortuito solutionis instrumenta periere, tunc enim jussu judicis interveniente solutionem juramento benè probare ac demonstrare valet debitor *l. 27. ff. de jurejur.* B. Carpzov. *p. 1. Pract. Crim. qu. 39. n. fin. p. 4. c. 17. d. 15.* idem quoque dicendum in casu furti, quin enim & tunc de scripturis deperditis & earum tenore parti jurare concedendum, non est ut dubitemus. Menoch. *de præsumpt. lib. 3. præs. 135. n. 9.*

Th. VIII.

Th. VIII. Antequam nunc ad Affinia transitum facimus, coronidis locò unam vel alteram quæstionem capiti huic subnectere placet & quidem (1) *quaritur, num parte debiti oblata, usurarum cursus ex parte tollatur?* & si quidem expresse actum sit, ut debitori liceat particulariter solvere, iisdem utique pro ratâ portionis solutæ sublevari debitorem dicimus, quod si tale quid non fuerit conventum, aliter sentimus cum Carpz. *p.* 2. *C.* 28. *d.* 13. *n.* 4. (2) circa hanc materiam quæri solet; *an coactus accipere particulares solutiones, cum sibi una solutio esset facienda, recipiendo sortem pluribus vicibus, videatur remisisse damna & interesse?* & quamvis non desint, qui affirmativam sectentur, mihi tamen negativæ ceu communi adhærere placet, sequentibus ex rationibus (1) quia debitor ad totius debiti exsolutionem adstrictus est, quam cum in tempore non præstat, sed particularem solutionem offert, creditor detrimentum sentit, & ne proinde duplici afficiatur injuriâ, damna sibi illata & interesse jure petit *l. si insulam* 84. *ff. de V. O.* (2) quia in dubio non debet præsumi renunciatio *l. sicut* 8. §. 15. *ff. quib. mod. pig. vel hypoth. solv.*

CAPUT V & ULTIMUM
DE
Particularis solutionis affinibus atque contrariis,
SUMMARIA,

Th. I. *Oblatio, consignatio aut depositio pecunia quandoque liberationem parit. Compensatio valet quoad summam concurrentem. Pactum de non petendo producit exceptionem. Obligatio naturalis nullam habet efficaciam in agendo, gaudet tamen effectu aliquô in excipiendo. Proniores sumus ad liberandum, quàm obligandum.* II. *Non modo integra obligatio, sed & pars stipulationis acceptò ferri potest. Solutioni non absimilis confusio.* III. *Pignoris distractio. Incarceratio publica. Mancipatio seu addictio ad manus creditoris. Q. num etiam debitor per particularem bonorum cessionem executionem à se avertere valeat?*

IV. Solutionis Contraria (1) mora, illa quid? (2) inficiatio. Inficitatio quid? In pœnam inficiationis quandoque duplum præstandum. (3) Banccoruptio. Ejus descriptio. (4) Denunciatio. (5) Durans adhuc obligatio. V. Epilogus.

Th. I.

Absolutis ita quoque effectibus obligatoriis, restat ut hoc capite de Affinibus breviter quoque tractemus, quo nomine primo venit oblatio, consignatio aut depositio pecuniæ, nam & hæ quandoque liberationem pariunt *l. 9. C. de sol.* quamvis enim in *d. l. 9.* inter alia requiratur oblatio totalis, quin tamen iis in casibus, quibus particularis solutio admittitur & oblatio particularis concedenda non dubitaverim. Secundo sequitur Compensatio, etiamsi enim quod petitur compensari, non absorbeat totum debitum, nihilominus tamen quoad summam concurrentem valida est compensatio, in tantum, ut etiam usuras impediat *l. 4. & seq. C. de Compens. l. 21. ff. ibid.* Tertio accedit etiam pactum, si scilicet creditor faciat pactum nudum de amplius non petendo, tunc enim parit exceptionem, nam sic creditori postmodum agenti contra debitorem & petenti debitum aut ejus partem obstabit exceptio pacti de non petendo *l. 27. ff. de pact.* utut enim obligatio naturalis nullam habeat efficaciam in agendo, gaudet tamen effectu aliquo in excipiendo, quoniam proniores sumus etiam naturali ratione ad liberandum, quam ad obligandum.

Th. II. Quartò Acceptilatione solutionis exemplò obligationes dissolvuntur, *l. in diem ff. de accept.* ita ut non tantum integra obligatio, sed & stipulationis pars accepto ferri possit, sive numerata pecunia sive aliud quoddam corpus debeatur *l. pars ff. de accept.* Quintò non absimilis solutioni est, confusio, *l. si id quod ff. de lib. leg.* quando scilicet, debitor creditori vel vice versa creditor debitori heres existit, in eundem enim personam utriusque jure concurrente, in eum res redit statum, ut manere obligatio non possit, *l. sicut 75. l. Stichum. 95. ff. de sol.* alioquin sibi ipsi debere quis videretur, quod ipsum tamen pro eâ saltem parte intelligendum, pro quâ defuncto succeditur, de reliquo salvis manentibus actionibus.

Th. III. Sextò huc quoque spectat pignoris distractio, *l. 3. C. de distr. pig.* nec non septimo incarceratio publica, de qua Mævius

vius ad jus Lubec. *lib.* 1. *t.* 3. *art.* 1. *n.* 28. *& seq.* Sic Hamburgi & Amstelodami debitoribus incarceratis singulis annis certam debiti partem ob incarcerationem perpessam remitti scio, quod vulgò das Absitzen vocatur, cui non dissimilis apud nos recepta mancipatio seu addictio ad manus creditoris, seu operas creditori præstandas, cujusmodi addictio utut jure Elect. Saxon. sit abrogata, jure tamen Sax. communi eandem adhuc vigere docet Carpz. *p.* 2. *c.* 22. *d.* 1. nec non Magnif. Dn. Struv, *S. J. C. Ex.* 44. *th.* 20. ubi resp. cujusdam meminit seq. ten. Daß Beklagter vermöge gemeiner Sächs. Rechte die Schuld abzuverdienen / oder in Banden und Gefängniß abzusitzen / denen Klägern nicht unbillig an die Hand gegeben wird V. R. W. Sub finem hujus theseos non incommode quæritur, num etiam debitor per particularem bonorum cessionem executionem à se avertere valeat? & quamvis regulariter id negandum, tum quod quisque tamdiu idoneus atque solvendo esse præsumatur, donec probetur contrarium. Masc. *de prob. concl.* 326 *n. ult.* tum quod per cessionem particularem libera petendi executionem facultas, in quæ bona velit, creditori adimi nequeat, *l.* 5. *ff. de distr. pig.* nihilominus tamen eandem quandoque æquitatis & commiserationis intuitu concedi posse, non dubitarem, præprimis si debitores non propria suâ culpa, sed inevitabili fato ejusmodi calamitatem sentiant.

Th. IV. Tandem quoque de solutionis contrariis pauca subjiciemus, Sunt autem (1) mora, quæ est frustratoria opportuno loco & tempore solvendi & recipiendi dilatio *l.* 3. §. *fin. l.* 32. *pr. ff. de usuris* & vel ex re, vel ex interpellatione descendit, (2) inficiatio, quæ est rei debitæ, cum à Creditore reposcitur, negatio, & hæc tum solutionem impedit, quando creditor legitimis destituitur probationibus, nam si inficiantem legitimis probationibus convicerit, tantum abest, ut solutio impediatur, ut potius quibusdam casibus in pœnam inficiationis duplum præstare cogi possit, de quibus inficiationum pœnis legi potest Cujac. *ad Nov.* 18. *c.* 8. (3) Banccoruptio, quæ describitur, quod sit latitatio aut secessio debitoris obærati, aliquantisper facta, donec certis conditionibus transegerit cum suis Creditoribus, ut partem debiti remittant & residui obligationem in tempus aliquod differri patiantur, uti pluribus exponit Rittershus. *p.* 3. *expos. Nov. c.* 3. *n.* 24. (4) denunciatio, quo vocabulo hic nihil aliud indigitari volumus

lumus, quàm inhibitionem seu protestationem debitori à creditore factam, ne aliquid solvat, quæ quibus in casibus permissa sit, docet Rittershus. *p. 3. ex pos. Nov. c. 1. n. 4.* (5) Denique in genere durans adhuc obligatio, subsistit autem obligatio, si vel plane nihil solutum est, vel id, quod solutum fuit, non debito ac legitimo modo, de quibus supra exposui, præstitum fuit.

Th. V. Hæc sunt B. L. quæ de hac solutionis materiâ, pro ingenii mei tenuitate & studiorum meorum cruditate effari libuit, quæ si minus rectè minusque commodè dixero, meliora monentem sequi non recuso; aut si quædam ob temporis angustiam à me prætermissa, eadem ut pro candore tuo aliunde supplere velis, submisse rogito, interim Deo ter Opt. Max. sit

LAUS, HONOR ET GLORIA!

Laudabilis hicce tuus conatus, Nobilissime FÖRSTERE, *haud obscurè significat, quòd de summa illa, quam Deus sanè magnam nobis credidit, solvenda, unicè sis solicitus. Nam cum multa sint, quæ Deo, Patriæ ac societati hominum debeas, doctissimo hoc specimine minorem quasi summam solvis, majori illâ, gravioribus curis reservatâ; Cui solvendæ vel eò magis fuisti hactenus intentus, quò minus satis esse putabis, variam rerum pulcherrimarum cognitionem ex solis libris addidicisse. Et nescio qui fiat, quòd ea intimius sese in animos insinuent, quæ coram ipsis oculis & auribus apprehendimus. Non possum non, quin præclariores patriæ ac Reipublicæ ominer fructus, illud ex animo vovens, ut Deus O. M. vires concedat integras, ac præclara studia tua felicissimo eventu secundet. Dab. è Musæo d. 24. Febr. 1685.*

T.

PRÆSES.

* * *